



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

A Clemente XI. Ad Benedictum XIII.

**Luxemburgi, MDCCXLI.**

68. Universis, & singulios &c. Monitorium die 22. Junii 1716. expeditum  
contra Petrum Ghiliò, & Quiricum Antonium Testam, propterea quòd à  
Laicali Potestate Taurinensi conducere ausi fuerint Terras, ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74859](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74859)



beant ipsi, & eorum quilibet in censuras, & pœnas in Sacris Constitutionibus Apostolicis contentas incidisse, & incurrisse declarari, & contra eos, & illorum quemlibet literas declaratorias quascumque desuper necessarias, & opportunas decerni, & relaxari, & respectivè non debeant condemnari ad damna, expensas, & interesse, & super præmissis cum d. Illustrissimo D. Commissario Generali, & aliis cum quibus opus fuerit Juri stetit, deque eorum innocentia si qua sit, legitime docuisse, præsentique nostro Monitorio omninò paruisse.

Certificantes eosdem sic monitos, requisiti, & citatos, & eorum quemlibet, quod si in prædicti Monitorii termino non comparuerint, vel aliquis eorum non comparuerit, seu comparitionem distulerint, Nos nihilominus ad ulteriora juris, & facti remedia, & ad declarationem incurfus penarum prædictarum usque ad Sententiam, illiusque executionem inclusivè, prout Juris fuerit, per contradictas, per Edictum publicum procedemus, eorum contumacià, vel absentia, & aliis quibuscumque non obstantibus. Et cum delicta prædicta patrata fuerint in jurisdictione, & Territorio Abbatiali Sancti Benigni, & valde notoria sit violenta occupatio jurisdictionis Sedis, & Camera Apostolicæ & propterea pro præsentis nostro Monitorio exequendo tutus non pateat accessus, volumus, & auctoritate nostra decernimus idem nostrum Monitorium contra omnes supra nominatos exequi mediante affixione, & dimissione ejusdem Copiarum ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum Sancti Petri in Vaticano, & Magnæ Curie Innocentianæ, nec non ad valvas Ecclesiarum, Terrarum, & Locorum Abbatialium Sancti Benigni, quo sic exequuto & in actis infrascripti nostri Secretarii legitime reproducto, ita eosdem monitos, & eorum singulos arcere, & adstringere perinde valeat ac si personaliter, & magis legitime exequutum foret, contrariis quibuscumque non obstantibus. In quorum fidem &c. Datum Romæ in Magnâ Curia Innocentianâ hac die tertîâ Augusti 1714.

Jo. Archiepiscopus Seleuciz Theaurarius Gen., & specialiter Delegatus.

Jo. Antonius Tartaglia Rev. Cam. Apostol. Secretarius.

Die 17. Maii 1715. Elapsis terminis in antedicto Monitorio præfixis, aliisque servatis de stylo Curie servari solitis, lata, & publicata fuit contra præfatos Citatos Contumaces Sententia declaratoria incursus in omnes, & singulas Censuras, ac pœnas in eodem Monitorio contentas, & comminatas.

Eademque die decreta, relaxata, typis impressa, & consuetis locis Urbis palàm affixa fuit publica Scheda-Cedoloni-nuncupata, qua universis Christianidelibus denunciati fuerunt excommunicari virandi, & in eventum mortis privati Ecclesiastica Sepultura illi omnes, & singuli, contra quos prædicta Sententia lata fuit.

#### MONITORIUM

Die 22. Junii 1716. expeditum contra Petrum Ghid, seu Ghilid, & Quiricum Antonium Testam, propterea quòd à Laicali Potestate Taurinensi conducere aucti fuerint Terras, atque proventus Abbatiæ S. Benigni Fructuarien., ab ipsamet Laicali Potestate temerè usurpatos in grave præjudicium, & maximum contemptum Jurium, & Jurisdictionis S. Sedis Apostolicæ.

Joannes Tituli Sanctorum quatuor Coronatorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis Patrius, Sanctissimi Domini Nostri Papa, ejusque Reverendæ Camera Apostolicæ Pro-Thesaurarius Generalis, & quorumcumque Spoliorum, & Jurium Abbatiarum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum vacantium in tota Italia Pro-Collector Generalis, & specialiter ab eodem Sanctissimo Domino Nostro Delegatus.

UNIVERSIS, & singulis RR. DD. Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Archidiaconis, Scholasticis, Cantoribus, Custodibus, Theaurariis, Sacristis, tam Parochialium, quàm Collegiarum Rectoribus, seu earundem Plebanis, Viceplebanis, Curatis, & non Curatis, cæterisque Presbyteris, nec non Clericis, & Tabellionibus quibuscumque, illique, vel illis, ad quem, vel ad quos præsentis nostræ literæ pervenerint, seu quomodolibet præsentabuntur, salutem in Domino.

§. 1. Noveritis fuisse nuper coram Nobis comparitum pro parte, & ad instantiam Illustrissimi D. Gasparis Turchi Sanctissimi Domini Nostri Papa, & Reverendæ Camera Apostolicæ Commissarii Generalis omni meliori modo Principalis, & prævis probationibus assumptis expositum, & deductum, quòd usurpata à Laicali Potestate Taurinensi temporali Jurisdictione ac administratione Bonorum Ecclesiasticorum vacantis Abbatiæ Sancti Benigni, eorumque fructuum, atque proventuum exactione, pluribusque enormibus attentatis ab ejusdem Laicalis Potestatis Ministris iniquè patratis in grave præjudicium, & maximum contemptum Jurium ac Jurisdictionis Apostolicæ Sedis, ut latè aliis nostris monitoriis Literis editis die 6. Octobris anni 1711., seu &c. commemoratum fuit, ad quas &c. illorum partes quoque sequuti fuerunt Petrus Ghid, seu Ghilid, & Quiricus Antonius Testa, qui falsò putantes utile sibi esse alterius incommodo, eorum commodum augere, Terras ejusdem Abbatiæ Sancti Benigni à prædictâ Laicali Potestate conduxerunt, illarumque proventus ex avidæ mentis impetu sibi usurparunt, & adhuc pari iniquitate sibi usurpant, non formidatâ excommunicationis sententiâ contra hujusmodi Usurpatores per Sacros Canones, atque Apostolicas Constitutiones lata, prædicta omnia, & singula temerè, & dolosè committentes, rebusque aliis, prout ex processu, & actis causæ ad quæ &c. pœnas propterea, ac censuras in Sacris Canonibus, & Constitutionibus Apostolicis, & præsertim in Bullâ in die Cœnæ Domini quotannis legi, & publicari solita damnabiliter incurrendo. Quocirca fuimus pro parte & ad instantiam supradicti Illustrissimi D. Gasparis Turchi Sanctissimi Domini Nostri Papa, & Reverendæ Camera Apostolicæ Commissarii Generalis instanter, & debitè requisiti, quatenus sibi in præmissis de opportuno juris remedio providere, Monitoriumque ad Partes ad personaliter, vel legitime comparendum sibi decernere, & concedere dignaremur. Nos itaque petitioni hujusmodi tanquam justæ annuentes, Vobis omnibus, & singulis supradictis, & Vestrum cuilibet insolidum tenore præsentium committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ strictè præcipiendo mandamus, quatenus statim visis, & receptis præsentibus, & postquam præsentium vigore fueritis requisiti, seu alter vestrum requisitus fuerit ex parte nostrâ, imò verò Apostolicâ auctoritate supradictos Petrum Ghid, seu Ghilid, & Petrum Antonium Testa, moneatis, citetis, & requiratis, ac moneri, & requiri faciatis, eisdemque, & cuilibet ipsorum præcipiatis, & mandetis, prout Nos eosdem harum serie citamus, monemus, & requi-



rimus, eisdemque, & cuilibet eorum præcipimus, & mandamus per præsentem primo, secundo, & tertio, peremptorio termino, quatenus infra quadraginta quinque dierum spatium ab executione præsentium computandorum: quorum quindecim pro primo, alios quindecim pro secundo, & alios quindecim pro tertio ultimo, & peremptorio termino, ac trinâ canonicâ monitione assignatus, & Vos assignetis, debeant, & quilibet ipsorum, prout eos tangit, debeat Romæ coram Nobis, personaliter, vel legitimè comparuisse, & comparere ad deducendum, & allegandam causam, quare non debeant ipsi, & eorum quilibet in omnes, & singulas censuras, & pœnas in Sacris Canonibus, Conciliis, & Constitutionibus Apostolicis, & præsertim in Bullâ in die Cœnæ Domini quotannis legi, & publicari solitâ, contentas, inflictas, impositas, & comminatas incidisse, & incurrisse declarari, & contra eos, & illorum quemlibet literas declaratorias quascumque desuper necessarias, & opportunas decerni, & relaxari, & respectivè ipsi non debeant condemnari ad damna, expensas, & interesse, & super præmissis cum dicto Illustrissimo Domino Commissario Generali, & aliis, cum quibus opus fuerit. Juri stetit, & deque eorum innocentia, si quæ sit, legitimè docuisse, præsentique nostro Monitorio omninò paruisse. Certificantes eosdem *Petrum Ghio, seu Ghilio & Quiricum Antonium Testa* sic monitos, requisiti, citatos, & eorum quemlibet, quod si in præsentem Monitorii termino non comparuerint, vel aliquis eorum non comparuerit, seu comparisonem distulerint, vel distulerit, Nos nihilominus ad ulteriora juris, & facti remedia, & ad declarationem incursum pœnarum prædictarum usque ad sententiam, illiusque executionem inclusivè, prout Juris fuerit, per contradictas, vel Edictum publicum procedemus, eorum contumaciâ, vel absentia, & aliis quibuscumque non obstantibus; Et cum excessus prædicti patrati fuerint in jurisdictione, & Territorio Abbatialis Sancti Benigni, & valde notoria sit violenta occupatio jurisdictionis Sedis, & Cameræ Apostolicæ, nihilominus ad super erogationem ex pluribus etiam Testium depositionibus omnia comprobata remaneant. Cumque pro præsentem nostro Monitorio exequendo tutus non pateat accessus, propterea volumus, & auctoritate nostrâ decernimus idem nostrum Monitorium contra omnes supranominatos exequi mediante affixione, ejusdem Copiarum ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum Sancti Petri in Vaticano, & Magnæ Curie Innocentianæ, nec non ad valvas Ecclesiarum, Terrarum, & Locorum Abbatialium Sancti Benigni, quo sic exequuto, & in actis infra scripti nostri Secretarii legitimè reproducto, ita eosdem monitos, & eorum singulos arcere, & adstringere perinde valeat, ac si personaliter, & magis legitimè exequutum foret, contrariis quibuscumque non obstantibus. In quorum fidem &c. Datum Romæ ex Magnâ Curia Innocentianâ Anno à Nativitate Domini Nostri Jesu Christi millesimo septingentesimo decimo sexto, Indictione 9., die verò 22. mensis Junii, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri, Domini Clementis Divinâ Providentiâ Papæ XI. Anno decimo sexto.

Joannes Cardinalis Patritius Pro- Thesaurarius Generalis, & specialiter Delegatus.

Jo. Antonius Tartaglia Cam. Apostol. Secretarius.

Die 22. Septembris 1716. Elapsis terminis in antedictis

to Monitorio præfixis, aliisque servatis de stylo Curie servari solitis, lata, & publicata fuit contra præfatos Citatos Contumaces Sententia declaratoria incursum in omnes, & singulas Censuras, ac pœnas in eodem Monitorio contentas, & comminatas.

Eademque die decreta, relaxata, typis impressa, & consuetis locis Urbis palam affixa fuit publica Sedula-Cedoloni-nuncupata, qua universis Christianidelibus denunciati fuerunt excommunicari vitandi ac in eventum mortis privati Ecclesiastica Sepultura iidem, contra quos præfata Sententia lata fuit.

## MONITORIUM

Die 29. Septembris 1716. expeditam, quo prævia declaratione nullitatis omnium gestorum, & gerendorum à Doctore Victorio Amedeo Trona Taurinensi asserto Judice à Laicali Potestate perperam deputato ad exercendam temporalem Jurisdictionem vacantis Abbatie S. Benigni, ipse Trona citatur ad comparandum, & allegandam causam, quare declarari non debeat excommunicatus &c.

Joannes Tituli Sanctorum Quatuor Martyrum Coronatorum Sancta Romana Ecclesie Pre-byter Cardinalis Patritius, Sanctissimi D. Nostri Papæ, ejusque Reverendæ Cameræ Apostolicæ Pro- Thesaurarius Generalis, & quoruncumque Spoliarum, & Jurium Abbatiarum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum vacantium in tota Italia Pro-Collector Generalis, & specialiter ab eodem Sanctissimo Domino Nostro Delegatus.

Universis, & singulis RR. DD. Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Archidiaconis, Scholasticis, Cantoribus, Custodibus, Thesaurariis, Sacristis, tam Parochialium, quàm Collegiarum Rectoribus, seu earundem Plebanis, Viceplebanis, Curatis, & non Curatis, cæterisque Presbyteris, nec non Clericis, & Tabellionibus quibuscumque, illique, vel illis, ad quem, vel ad quos præfates nostræ literæ pervenerint, seu quomodolibet præsentabuntur, salutem in Domino. Noveritis fuisse super coram Nobis comparitum pro parte, & ad instantiam Illustrissimi D. Gasparis Turchi Sanctissimi Domini Nostri Papæ, & Reverendæ Cameræ Apostolicæ Commissarii Generalis omni meliori modo principalis, & prævis probationibus assumptis expositum, & deductum, quod nondum à ratione perversâ desistens Laicalis Taurinensis Potestas adhuc usurpationem Jurisdictionis vacantis Abbatie Sancti Benigni, quantumvis per præteritas nostras monitoriales Literas improbatam, persequitur, nec intermittit. Hæc incepta proinde continuandò sacrilega attentata, ipsis etiam sæculi Legibus execrata, quotidie, quæ in Locis, & Terris præfate Abbatie ad Apostolicæ Sedis jura pertinent, violenter invadit. Hinc Judicis officio dimisso ab Advocato Jo. Paulo Blanchiardo olim similibus nostris Literis monito, elegit in successorem Doctorem Victorium Amedeum Trona Taurinensem, qui præfatis facultatibus sibi nulliter, & à non habente potestate collatis utens, temporalem in prædictæ Abbatie Locis, & Terris Jurisdictionem ad Apostolicam Sedem pertinentem exercet, ejusque jura circa præmissa sacrilegè, & in contemptum usurpat, rebusque aliis, prout ex Processu, & actis Causæ, ad quæ &c., pœnas propterea, ac Censuras in Sacris Canonibus, &